

dentibus certissimè. Producamus jam in medium illam
Salvatoris nostri promissionem, quæ *Job. XIV, 23.* extat: *Si
quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus di-
liget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum fa-
ciemus.* En! adsunt heic Personæ divinæ numero Plurali
expressæ, tota nempe SS. Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus S.
venire vult in corda verè credentium. Quomodo ergò
solum dona divina poterunt intelligi? Adest aliqua pro-
missio adventûs ejusqve omninò singularis, nam generali &
communi præsentia aderat jamtum tota SS. Trinitas, omnia
quippe in omnibus replens. Nec quibusvis promittitur
illa præsentia atqve ille adventus, cum non ad impios, sed
ad pios, qui Christum diligunt, & ejus sermonem servant,
referatur. Promittitur deniqve mansio seu inhabitatio.
An verò unquam dona dicuntur apud aliquem mansio-
nem facere? non certè, cum id solis Personis proprium
sit. Conf. *B. Calov. Synops. Controvers. l. c.* Insuper prædicat
alibi (*Job. XV, 26.*) discipulis suis Christus: *Cum venerit Pa-
racles, quem ego mittam, ille testimonium perhibebit de me.*
Sermo est de discipulis (inquit ad h. l. *Hülsemannus*) *jam ante
regentis, in quibus Spiritus S. jam ante habitabat per essen-
tiam & dona.* Hoc non obstante dicitur tamen venturus tam
per essentiam novum approximandi modum, quàm per novorum
donorum communicationem. Lubens jam prætereo proli-
xam reliquorum Locorum explicationem, quæ hanc rem
reddunt porrò clarissimam, & adducuntur ab *Hülsemanno
in Extensione Breviarii c. XIV.* in *Calixtinischen Gewissen
Wurm c. VIII. p. 1077. sq.* *Scherz. in Hülsem. Enucleat. p. 906. seq.*
ad quos B. L. remitto. Frigida interim est exceptio Adver-
sariorum, qui à positione præsentia generalis ad exclusionem
hujus specialioris argumentari conantur. Neutiquam enim
procedit hic inferendi modus: Deus est omnipræsens E. non

... & videri obuscha, obuscha uni